



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LV. Brvno IV. XXXIV. Arch. XVIII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

SECULUM XIII.

LV. BRUNO IV. XXXIV. ARCH.
XVIII. ELECTOR.

INter turbas Imperii & Coloniæ publicas Bruno IV. natus Comes de Sayn, in Archipræsulem delectus, exordium dignitatis suæ nactus est difficillimum, & viam virtutis arduam: Philippus enim Imperator Ottone æmulo prope Coloniâ in pugna decretoria victo, Brunonem in arce Wasserburgensi captum duxit captivum. Prosperè evenit captivo, amicitia vinculo conjunctos tandem fuisse Pontificem Innocentium & Cæsarem Philippum; tum enim vero confirmatus in Sede Principis sedit brevi tempore, 3. duntaxat annorum Præsul, forte meliori dignissimus.

LVI. THEODORICVS I. XXXV. ARCH.
XIX. ELECTOR.

Theodoricus Comes Heinsbergensis ab Ottone Philippi, licet jam viribus prævalentis Cæsaris, æmulo in sacram Coloniæ Sedem intrusus, è coetu fidelium ab Innocentio III. est ejectus, quòd nollet relinquere partes Ottonis ab universâ propemodum Ecclesia relictas. Annos circiter 8. duravit schisma pertinax Theodoici, tandem re & spe Sedis recuperandæ destitutus, dato sibi auro quievit.

LVII. D. ENGELBERTVS XXXVI. ARCH.
XX. ELECTOR.

D Engelbertus Montensis Comes, ab Imperatore Henrico VI. constitutus filio Friderico Moderator, à Coloniæ verò Canonicis Imperii Elector designatus, utrumque munus tanta integritate obiit, ut inter æquos rerum arbitros inventus fuerit nemo facile, qui plus ab eodem desideraret,